

MARIANOPOLITANA
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVAE DEI
MARGARITAE BOURGEOYS

FUNDATRICES CONGREGATIONIS SORORUM NOSTRAE DOMINAE

INFORMATIO

SUPER DUBIO

„ An sit signanda Commissio introductionis Causae
in casu et ad effectum de quo agitur? „

Eminentissime ac Reverendissime Domine

1. Mulieris fortis elogium quod in sacris litteris continetur plane huic Dei Ancillae fortissimae aptandum. „ Accinxit „ fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum „ „ Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad „ pauperem „ (1). Ea enim fuit quae, ardentissimo in Deum et in proximum charitatis igne succensa, Oceanum transvecta, gravissimos exantlavit labores, ac in vitae discrimen se coniecit ut efferatae ac inospitae per id temporis Canadensi regioni saeculo nempe XVII. spirituale ferret auxilium. Ea fuit quae in Marianopolitana insula miserrimis iis populis Evangelii lumen invexit, eosque ad humanitatis sensus reduxit; quae, tamquam mater, pueris puellisque subvenit, et ad christianam religionem

(1) Proverb. Cap. 31. 17. 19.

